Pierre Barbay, *Commentarius in Aristotelis Metaphysicam. Auctore Magistro Petro Barbay, celeberrio qundam in Academia parisiensi philosophiæ Professore, Editio quinta. Emendatior multo, schematibus Philosophicis adornata, et figuris ad Sphæram spectantibus aucta,* Lugduni, Apud J. Bapt. De-Ville, 1692 (I éd. 1675)

Pars ultima Metaphysicæ, *De speciebus Entis*, Disp. II, *De Deo,* cap. I, *De nomine, notione et existentia Dei,* Conclusio, *Demonstrari potes Existentia Dei,* p. 351-358

Probatur primo ex Scripturis, Psalm. 182 *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sapientiæ 13. ubi Sapiens paulo post verba in præfatione hujus disputationis laudata subdit: *A magnitudine enim speciei et criaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Isaiæ c. 40. *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hac.* Romanorum capite primo: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexscusabiles.*
Probatur secundo ratione. Exsistentia causæ demonstrari potest per effectum ab ea essentialiter dependentem : Sic existentia animæ demonstrari potest per operationes vitales; cum ejus sit actus, cujus potentia, ex 1. cap. libri de somno et vigilia: Atqui omnis creatura essentialiter pendet a Deo, ut probatum est agendo de causa prima : Ergo existentia Dei demonstrari potest per creaturas. Hæc probatio colligitur ex cap. 6 libri de mundo.
Objicies I. Articulus fidei non potest demonstrari: Atqui est articulus fidei Deum esse: Ergo non potest demonstrari.
Transeat major, quæ jure negari posset; tum quia actus fidei et scientiæ possunt esse simul in eodem intellectu per diversa media, ut probatum est secunda parte Logicæ : Tum quia, etsi id verum non esset, *nihil tamen prohiberet illud, quod secundum se demonstrabile est et scibile, accipi ab aliquo ut credibile, qui demonstrationem non capit,* ex sancto Thoma I. parte quæst. 2 articulo 2. ad primum; quo in casu quod est objectum fidei secundum se, posset alicui demonstrari, qui fidem non haberet.
Distinguo minorem: Atqui est articulus fidei, Deum esse authorem gratiæ et gloriæ, concedo : Deum esse authorem naturæ, nego : Nam (ut docte scribit sanctus Thomas, loco citato) Deum esse, et alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. c. I. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos ; sic enim fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile.
Objicies secundo. Quod naturaliter demonstratur, clare cognoscitur naturaliter; demonstratio enim est syllogismus evidens : Atqui exsistentia Dei non potest naturaliter | clare cognosci : alioqui naturaliter ejus essentia clare cognosceretur, cum essentia et existentia in Deo maxime identificentur : Ergo existentia Dei non potest naturaliter demonstrari.
Distinguo minorem. Existentia Dei non potest naturaliter clare cognosci quoad quæstionem quid sit, concedo : quoad quæstionem an sit, nego. Tam enim clare cognoscitur Deus et essentia ejus quoad existentiam, ut sint inexcusabiles, qui Deum negant, ex I. capite Epistolæ ad Romanos.
Objicies tertio. Medium demonstrationis debet esse necessarium : Atqui creatura non est necessaria : Ergo non potest esse medium demonstrandæ existentiæ divinæ.
Distinguo majorem. Medium demonstrationis debet esse necessarium, necessitate connexionis cum re demonstrata, concedo : Necessitate entitatis, nego : At creaturæ habent necessariam connexionem cum existentia divina ; quia bene sequitur quod si sint quædam entia facta, sit etiam Ens non factum ; Sicuti bene sequitur quod si sit capacitas scientiæ in aliquo animali, in eo quoque sit rationalitas.
Itaque hic quædam sunt afferendæ demonstrationes de existentia Dei. Variæ afferuntur a variis authoribus. Nos tres selegimus, quas duximus magis convincentes. Primam ex cap. 13. Sapientiæ, et Isaïæ 40. citatis. Secundam ex S. Thoma, I. d. quæst. 2. art. 3. Tertiam et ultimam ex authore recentiore nomine **DESCARTES**. |

Prima demonstratio
Omnis proportio opus est alicujus intelligentis ; summa proportio, summi intelligentis. Nullus persuadere sibi possit Iliadem Homeri v. g. aut Æneïdem Virgilii non esse compositam ab aliquo ingenioso Poëta ; sed casu et fortuito quodam litterarum et vocabulorum concursu coluisse : Atqui in universo maxima est omnium partium proportio : Ergo universum, est opus alicujus maxime intelligentis. Illud tamen intelligens aliud non potest esse a Deo, cum præter mundum nihil aliud sit quam Deus ; Ergo datur Deus.

Secunda et maxime Philosophica Demonstratio
Datur ens non factum : Atqui ens non factum est Deus : Ergo datur Deus. Minor admittitur ab omnibus.
Probatur major. Ens absolute necessarium est ens non factum ; (quod enim factum est, necessarium tantum est ex hypothesi suæ factionis :) Atqui datur ens absolute necessarium : Ergo datur non ens factum.
Probatur minor. Vel datur ens absolute necessarius ; vel omnia entia sunt absolute contingentia ;) namque ens absolute necessarium et ens absolute contingens contradictoriam oppositionem involvunt : proindeque inter illa nihil est medium :) Atqui omnia | entia non sunt absolute contingentia : Ergo datur ens absolute necessarium.
Probatur minor. Si omnia entia essent absolute contingentia, possent absolute non esse : Contingens enim est, quod potest esse vel non esse. Supponamus ergo non esse. Nam ex Philosopho l. 8. Phys. c. 5. *Possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi*. Hac facta hypothesi, omnia essent possibilia simul et impossibilia, quod est contradictorium. Omnia essent possibilia, quia ex hypothesi sunt contingentia; omne autem contingens, possibile est : essent vero impossibilia, quia non possent reduci ad esse ; namque si possent reduci ad esse, vel possent a seipsis, vel ab alio ente ; non a seipsis, quia

contradictionem implicat aliquid non existens, sibi dare esse, ut probatum est disputatione de causis in communi c. 3. Non etiam ab alio ente, quia ex hypothesi nullum foret aliud ens : Ergo omnia forent simul possibilia et impossibilia, quod ratiocinium fundatur in Aristotele l. 12. Metaph. c. 6. ubi sic habet : ἐνδέχεται γὰρ τὸ δυνάμει ὂν μὴ εἶναι. Δεῖ [20] ἄρα εἶναι ἀρχὴν τοιαύτην ἧς ἡ οὐσία ἐνέργεια.
Objicies. Potest aliquid Atheus sibi persuadere mundum esse ab æterno, sicut Aristoteles et plerique antiqui Philosophi putarunt : Atqui in illa hypothesi non posset ei demonstrari existentia Dei ; namque non posset ei demonstrari prima causa ; nam diceret unum effectum esse factum ab alio, et alium ab alio et sic in infinitum : Ergo in illa hypothesi non posset ei demonstrari existentia Dei ; | namque non posset ei demonstrari prima causa, quin illi demonstraretur primus effectus. Atqui illi Atheo non posset demonstrari primus effectus, cum in serie infinita nullum sit initium : Ergo illi non posset demonstrari prima causa.
Nego minorem, et probationem ejus ; ad cujus confirmationem, transeat antecedens, quod falsum est de corporibus cœlestibus. Nam nullus Atheus dicere potest a quonam producta sint corpora cœlestia, cœli scilicet, et sydera, v. g. Sol, Luna, etc. secundum textum Isaïæ citatum. Nego consequentiam ? Nam vel ille Atheus admittet aliquod ens non factum, sicque convictus erit : vel dicet omnia facta esse. Si dixerit omnia esse facta, inferetur adversus illum omnia esse absolute contingentia ; quandoquidem omnia existunt tantum ex hypothesi suæ factionis. Quod si omnia sunt absolute contingentia, omnia possunt absolute non esse ; si autem omnia non essent, forent simul possibilia et impossibilia, ut demonstratum est. Ad ultimam confirmationem, distinguo majorem. Non posset illi demonstrari prima causa intrinseca collectioni effectuum, quin ei demonstraretur primus effectus, concedo : non posset ei demonstrari prima causa extrinseca collectioni effectuum, quin ei demonstraretur primus effectus, nego. Nam prima causa extrinseca collectioni effectuum seu entium factorum demonstrari potest per ipsam collectionem, ut in superiori demonstratione ostensum est. |

Tertia demonstratio
Quod est de conceptu alicujus rei non potest ab ea separari, v. g. quia habere tres angulos est de conceptu trianguli, habere tres angulos non potest a triangulo separari : Atqui existentia actualis absoluta est de conceptu Dei ; non magis enim potest aliquis concipere Deum sine existentia actuali et absoluta, quam triangulum sine tribus angulis : etenim pete etiam ab Atheo quid neget, dum negat Deum esse, respondebit se negare ens essentialiter existens : Ergo existentia Dei non potest a Deo separari.
Nec dicas, quod etsi habere tres angulos sit de conceptu trianguli, nihilominus non sequatur quod existat triangulus habens tres angulos : sed tantum, quod si existat triangulas, habet tres angulos : et proinde a pari, etsi habere existentiam absolutam sit de conceptu Dei ; nihilominus non sequatur quod existat Deus habens existentiam absolutam, sed tantum quod si existat Deus, habeat existentiam absolutam.
Nam magna est disparitas ; non enim est de conceptu trianguli actu habere tres angulos absolute ; sed tantum ex hypothesi quod existat : At vero est de conceptu Dei actu habere absolute existentiam : Deus enim aliter concipi non potest etiam a suis impugnatoribus, quam ens absolute existens.
Quæritur jam utrum illa propositio, *Deus est,* sit per se nota. Cui quæstioni ut fiat satis, |
Repetendum est ex secundo capite disputationis de demonstratione, in fine secundæ conditionis, propositionem aliquam posse esse per se notam dupliciter. Primo quoad se, quando nimirum prædicatum est de essentia subjecti ; quomodo hæc propositio, *Homo est rationalis*, est per se nota. Secundo quoad nos, quando ita innotescit perceptis terminis, ut a nemine negari possit animo ; quomodo hæc propositio, *Ignis est calidus*, est per se nota.
His positis,
Respondeo primo, prædictam propositionem esse per se notam quoad se ; quia ejus prædicatum est de essentia subjecti, ut sequenti capite patebit.
Respondeo secundo. Præfatam propositionem non esse per se notam, quoad nos. Quia negatur a sceleratis quibusdam Atheis, secundum illud Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo Non est Deus.*